



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 36. Inter excitatas turbas duo ad Vrvaicam oppida ab Societate  
exstruuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

ficantes, ægerrimè ferebant Apostolicos homines pervicacissimæ genti domandæ panè inutiliter occupari. Sic Guaicuzorum sedes, decimo-sexto postquam surrexerat anno, ab Societate deserta est. Itapuz Alfonso Rodericium Provincialis reliquit. Petrum verò Romerum Urvaicensi missioni destinavit, utrumque egregio Martyrio prælusurum. Itapuanì vehementer apud Provinciale insistere, ut in templo suo Venerabile Sacramentum tandem collocaret, & ab selectis recipi fineret: utrâque re impetratâ, evocatis ex aliis oppidis cantoribus, supplicatio solemnis instituta est, tanto plausu ornatuque, ut cultissimis Europæis in his locis spectantibus admirationis materia neutiquam deesset.

**I**NTER has Guairaniæ & Paraniæ qualescumque prosperitates, Urvaicensis Provincia, præproperâ Argentei fluminis Prætoris aviditate, perturbabatur. Miserat is nuperrimè e portu Boni-aëris Ferdinandum Saïam, Petrum Bavum, & Paivam, Hispanos homines, in novis oppidis ab Societate fundatis, fundandisque, Præfecturam, sive ut aiunt correcturam, nomine Regis exercituros. Rochus Gonsalvius quamvis vereretur immaturi consilii damna, tamen non ausus refragari Prætoris mandato, Ferdinandum Saïam Præfecti Regii officio in Conceptionis oppido fungi sivit. Paivam ad Jaguaraitienses, & Petrum Bravum ad Japevientes, Urvaicæ populos, qui ab Societate reduci ad oppida petierant, eadem de causa amandat. Sed non diu fuit, cum præcox consiliû in apertum erupit malum: nam quamvis Sociorum respectu & hortamentis Neophyti externos Præfectos aliquamdiu tolerarint, tamen statim apparuit diuturnum esse non posse, quod invitissimè fiebat. Re enim cognitâ, Itapuanì, Paraniæ populi, misso certo homine, Ibitiraquanis bellum interminantur, ni externi Præfecti jugum abs se excutiant. Ethnici verò adversa Urvaicæ littora incolentes, adunatis viribus, Ibitiraquanorum turbam invadunt, spoliatosque, indicto bello, cum verborum probris ad suos remittunt. Accessit his rebus immoderata Ferdinandi Saïæ dominatio, novellam gentem inasluetis imperiis minisque exacerbantis, & auli adolescentem affinitatibus potentem, quod sua iustia lenius exequeret, publicè alapâ percutere. Igitur Ibitiraquani probrorum impatientes, jam verò recenti Saïæ factò, & insuper suspicione ejus libidinis irritati, arma tumultuosè capiunt, domum nostram oblidant, hominem ad necem postulant; patrasentque scelus, ni Didacus Alfarus, objectu corporis & autoritate, tumultuantes utcumque compescuisset. Exinde Ferdinandus Saïas, domo nostrâ egredi non ausus, imperio suapte abstinuit. Paulò antequam id fieret, Rochus Gonsalvius ad Jaguaraitienses profectus, tantam Barbarorum multitudinem in eum locum reduxerat, quanta sufficeret ad justum oppidum constandum: quod oppidum ædificari cœptum, Prætoris postulatu Divo Xaverio dedicaverat, promiseratque propediem Sacerdotem se procuraturum. Eo loci, Gonsalvio absente, Paiva novellam gentem importunis etiam minis territans, eò rem adduxerat, ut Potirava potens Casiquius de eo mactando agitaret, fecissetque scelus, ni Tabaca novi oppidi dux ferocientem repressisset. Potirava tamen, eventitato consilio, vindictæ metu tractis secum circiter mille capitibus, deserto oppido, ad antiqua latibula transfugit; Paivâ interim ob conceptum metum nemoribus se abdicente. Quibus rebus nunciatis, Provincialis Mastrillus cum Rocho Gonsalvio, Didaco Boroa, Petro Romero, ac aliis Sociis, ad Urvaicam iter accelerat. Conceptionis oppidum ingredientem incolarum primores tumultuosè magis quàm suppliciter uno ore postulant, interponeret autoritatem, ni nascentem Ecclesiam destrui mallet, quàm conferri, eam esse Urvaicensium mentem, Fidem propagari non posse, si alii quàm Societatis homines adhiberentur. Si ab Societate regantur, quævis Prætorum Regionum mandata non ægrè capessituros. His cum addidissent alias querelarum causas, Provincialis, consilii capiendi & Divini implorandi ergò, in sequentem diem responsum rejicit. Cujus summa fuit, non in sua potestate esse Hispanos Præfectos ab Prætoris Regionis missos expellere, sed missurum se ea de causa unum e Sociis cum litteris suis ad Prætoris, à quo non dubitaret tumultuantis Provincie causas sublatum iri. Placuit Ibitiraquanis responsum Provincialis, qui statim

*Venerabile Sacramentum Itapua collocat.*

**CAPUT XXXV.**  
Inter excitationes turbas duo ad Urvaicam oppida ab Societate exstruuntur.

*Ludovici Cæspes Prætoris immaturum consilium.*

*Hispani novis oppidis præficiuntur.*

*Paranienses & Urvaicensis Barbari resistunt.*

*Ferdinandus Saïas de vita periclitatur.*

*Est Paiva.*

*Provincialis tumultuantes sedat.*

*Prator Hispanos reuocauit.*

*Sancti Xaverii oppidum apud Jaguaraitienses fundatur.*

*Et Regum apud Japeiuienses.*

*Varia nationes ad Fidem sollicitantur.*

*Præsertim ab Francisco Ricardo.*

**CAPUT**

**XXXVI.**

*De rebus apud Japeiuienses factis.*

*Barbara pœuentatio.*

*Barbari in Petrum Romerum conspurant.*

*Taianoi Religionis progægantæ zelus.*

Michaëlem Ampuerum secundo Urvaicâ ad portum Boni-aëris amandans, non tantum amotionem præfectorum, sed etiam nova pecuniarum subsidia, ad alendos per Urvaicam Socios, à Pratore impetravit. His rebus perfectis, Provincialis per Piratinienfè Divi Nicolai oppidum iter circumflectens, ad Jaguaraitienses profectus, novo Divi Xaverii oppido regendo Michaëlem Ampuerum, dum è portu rediret, præfecit. Deinde ad Japeiuienses descendens, perspectâ Barbarorum & locorum conditione, oppidam jam cœptum perfici curavit, & Tribus Sanctis Regibus dicatum, Petro Romero regendum tradidit; magno planè campestrum Indorum emolumento: nam præterquam quòd hætenus, Societatis operâ, in hac reductione suprâ quatuor capitum Guairanicæ gentis millia baptizata sunt, Jarosii, Mbaquæ, Charuæ, Guenoæ, & alii feritate insignes populi, hætenus indomiti, non sine aliquo animorum lucro, ad Fidem Christo dandam sollicitati sunt. Et dum hæc scribo nusquam aliâs major spes affulsit earum gentium convertendarû, Francisco Ricardo Gallo-belgâ in Evangelicum illud opus intentissimo, & ad congregandam gentem novi oppidi fundamenta sub nomine Divi Andreæ jaciente. His rebus confectis, Provincialis per Urvaicâ & Paranaë oppida ad Assumptionis urbem, & inde per immensâ spatia in Tucumaniam, iter reflexit, constatque in unica provincie inspectione, ante separationem Chilieni regni, bis mille leucas ab ipso fuisse confectas.

**P**OST discessum Provincialis Petrus Romerus ex novo Regum oppido excurrens, multos infantes, peste grassante, in Ethnicorum terris Saero Fonte expiavit. Charuam unum fortuito casu animam agentem baptizavit, in cuius inferiis, spectante Romero & nequiquam reluctante, consanguinei omnes sibi digiti nodum unum crudeli proflus parentatione præciderunt. Defuncti pater, dolore in rabiem actus, nescio quem veneficum, quasi in filium veneno grassatus esset, pugione bis transfodit: vulneratum & auxilium petentem Romerus contra furibundum hominem, telum jam collineantem, intrepidâ autoritate non tantum tutatus est, sed etiam præstigiis ritè ejuratis baptismali, Sacramento Christianæ militiæ adstrinxit, alligatisque vulneribus, æquè corpori ac animæ medelam fecit. Tantis damnis irritatus dæmon, ringens frendensque vicinos Japeiuiensibus populos instigat in novorum Christianorum perniciem: & jam collatis capitibus de mactando Romero consilia conferebant, cum unus è convocatis, qui ejus liberalitatem non ita pridem in novo oppido degustarat, malè se facturos pronunciauit, si in Sacerdotem advenam, profusissimæ largitatis virum, aut ejus discipulos innocentiam professos, arma sumerent: quâ ratione dæmonis furor frustratus est. Deinde memoratur factum Taianoi adolescentis, qui postquam in Regum oppido à Provinciali vestem acu pictam planè elegantem dono accepisset, accidit ut Ethnici è longinquis locis Japeiuienses inviserent, quos ut ille ad Christi partes pelliceret, detractam sibi vestem advenarum præcipuo donat, cum commendatione Societatis sua liberaliter largientis, nec aliena præter animas appetentis, monens ut vestem, Provincialis donum, in hujus rei fidem ad populares suos reportaret, sollicitaretque ad Christianam legem recipiendam. Equidem, meo iudicio, nemo alius pro Christo planius se exuit: eò memorabiliore exemplo, quò in Barbaro & ferè nudo.

